



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

15. B. V. matribus imitanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

KIV.

Math. 10. 20.

Quia multæ matres magis sollicitæ sunt de filiis suis ad honores, & dignitates, quàm ad virtutes promouendis, idcirco non iam memoratas, sed matrem filiorum Zebedæi imitantur, quæ cum filiis suis, ad Christum accedens, eum adoravit, & aliquid petitura dixit: *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo:* Rectè hæc fecit ad Christum accedendo, quanquam aliud ab illo petere debuisset. Aliæ matres, Christo neglecto, aulas adeunt, & profanos dominos, titulosque inanes ambiunt, aut etiam officia, prehensant filijs obfutura, quæ si muneribus, si precibus, si etiam fraudibus impetrârunt, tum se verè matres fuisse arbitrantur. Si autem viderint liberos suos Mundo nuncium velle remittere, si Deo seruire in statu sacratione, si ad Christi crucem euolare, tum manibus pedibusque obstitunt, tum vicinæ toti queruntur, tum cognatos omnes in concilium vocant, tum superos & inferos implorant; tum Diras omnes illis imprecantur, qui filijs earum bonum mentem iniecerunt: quibus jam alterum in cælo pedem habentes retrahunt, atque in suamet perniciem corrumpunt; ut in eis diabolos habeant, qui Angelos habere noluerunt. Ab harum sanè matrimonij laudabilis ille fructus in liberos non redundat. Longè enim à matrimonij scopo aberrant, itaque rem gerunt, quasi non cælo, sed Orco sobolem genuissent.

XV.

Ioan. 19. 25.

Aliter eas agere docuit diuina Christi Mater, qua tamen nulla magis vnquam mater filium suum dilexit, quia nulla potuit pluris filium suum æstimare, quàm quæ nouit esse Deum; nihilo tamen minùs eum à Passione sua non impediuit, neque ad tormenta euntem reuocauit. Quin vsque ad locum supplicij secuta, iucredibili constantia, vidit patientem ac morientem, eumque & ipsa cælesti Patri, pro mundi salute, tantquam piacularem hostiam obtulit. *Stabant enim iuxta crucem IESU Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene.* Hanc sibi imitandam omnes matres deberent proponere, quarum filij aut filia, ad crucem Domini humeris suscipiendam vocantur. Quod si nimis est illis robustum hoc exemplum habent, præter suprâ laudatas matres, alias, quas in

Atque